



The Holy See

FRANCISCUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

CONSTITUTIO APOSTOLICA

IN CANADA NOVA CONDITUR EXARCHIA APOSTOLICA SYRO-MALABARENSIS*

Spiritualem ubertatem Ecclesiarum Orientalium tueri et promovere volentes, nunc singillatim de fidelibus Ecclesiae Syro-Malabarensis in Canada versantium sollicitam curam habemus. Sententiam proinde accipientes Congregationis pro Ecclesiis Orientalibus, consiliis praehabitis Venerabilis Fratris Nostri Georgii S.R.E. Cardinalis Alencherry, Archiepiscopi Maioris Ernakulamensis-Angamaliensis, Synodi Episcoporum Syro-Malabarensium, nec non Praesidis Conferentiae Episcopali Canadensis, opportunum iudicavimus ibidem novam circumscriptionem ecclesiasticam condere. Quapropter Apostolica Nostra de auctoritate Exarchiam Apostolicam Syro-Malabarensis pro Christifidelibus eiusdem Ecclesiae in Canada commorantibus constituimus, cunctis factis propriis iuribus et obligationibus. Novae ecclesialis communitatis sedem in urbe Mississaugaensi ponimus. Ad haec ceteraque eandem respicientia Exarchiam perficienda, consuetudines iuraque congrua serventur et quae in Codice Canonum Ecclesiarum Orientalium praecipuntur. De eodem praeterea absoluto negotio sueta documenta exarentur et ad memoratam Congregationem mittantur. Hanc denique Constitutionem Nostram nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die sexto mensis Augusti, in Transfiguratione Domini, anno Domini bismillesimo decimo quinto, Pontificatus Nostri tertio.

*De mandato Summi Pontificis
Petrus card. Parolin
Secretarius Status*

*A.A.S., vol. CVII (2015), n. 9, p. 971.

©Copyright - Libreria Editrice Vaticana